

borant, vt discrepantias legum expungant, & ad consensum redigant, quin & eruditionis & ingenii honorem iis maximum tribuimus, si difficultates omnes feliciter amouent. Sed nec negligentiae reos putamus eos faciendos esse, qui, quae conciliari non debebant, etiamsi aliqua ratione poterant, quia & mente scribentium contraria erant, fatentur esse, quae sunt. Neque scimus, an sit eadem laus videre & detegere difficultates, quae tentatae conciliationi obstant, quam eiusmodi conciliandi rationem inuenire. Denique nec desperatio vituperanda est, vbi desperandum est.

§. IIII.

Neque vero, ad temerariae desperationis culpam a nobis auertendam, opus erit, vt inquiramus in omnes illas conciliandi rationes & artes, quibus vsi sunt viri doctissimi in his locis. Foret enim & nimis longum hoc, breuitatique, cui studemus, plane contrarium, & superuacaneum. Ipsi enim illi Icti, prout quisque rationem, aut inuenit, aut se inuenisse putauit, qua consentientes demonstraret veteres, ita singuli, quae alii antea disputauerant, refutarunt, & reiecerunt, vt ideo qui omnes legerit, omnium quoque refutationem legisse appareat. Ita qui nouissime hanc quaestionem tractauit, eruditissimus in Academia Helmstadiensi iuris Antecessor

ALBERTVS PHILIPPVS FRICKIUS ^{a)} diligentissimus fuit

C 2

in

a) in dissert. de iure bonae fidei possessoris circa fructus e re aliena per